



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Benevolo Lectori Loh. Otto Tabor, D. Pl. Sal. prec.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

BENEVOLO LECTORI
JOH. OTTO TABOR, D.

Pl. Sal. prec.

Rogatus, ut nonnulla, de Scopo & usu hujus Syllogæ, præferer: De quæstione: *An loci communes*, (quos vocant) *colligendi* veniant, quoque modo ea collectio instituenda sit? opiniones aliorum summo digito indicare, simulque consilium meum, iteratis amicorum petitionibus satisfactorius, tribus verbis subicere decrevi. Enim verò, fuerunt Viri docti, non tantum inter humanioris literaturæ Antesignanos, sed inter ipsos quoque Jctos, qui studium istud omninò damnarent. Duarenus, in *Comm. ad L. 24. §. si quis 2. de Legat. 1. & Cujacius*, multis locis atrum posuere calculum: v. *recit. ad tit. C. de solut. Epist. Consultat. præf. ad L. 4. de usur. in Papin. & alibi: Gifanius in prolegom. ad tit. de R. J. tria libris brocardicis vitia impingit*: nimirum, quòd his confundantur scientiæ inter se, itemque Jurisprudentiæ ipsius Exceptiones cum Regulis; & quòd Regulæ temerè, ex una facti specie, sæpiusculè conficiantur. Idem in aurea præfatione, *partitionib. Conrad. Rittersbusii præfixa*: exemplis & autoritatibus sententiam istam tuetur & illustrat. Add. *Sichard. ad l. 5. n. 6. C. de donat. Zas. in paratit. Quod cujusq. Univers. nom. n. 22. (Ubi, doctrinam brocardicam, ait, in utramq. partem esse implexam.) Almaricum Bonehardum, in præfat. C. Th. ad Antonium Pratensem. Gallie Cancellarium: Vigeliuni, 5. decis. 67. Nebelkraë. decis. 11. pag. 137. Cavalcan. decis. 15. n. 4. Wesenbec. 24. consil. num. 13. Cothman. 1. consil. 2. num. 72. Andr. Knichen. in Epist. dedicat. de sublim. & reg. territ. jure. Dn. Klocken. 1. consil. 20. & 3. consil. 135. num. 1. Herman. Lather. de censib. lib. 2. cap. 3. num. 59. & 60. Ubi ait: plaustra ista brocardicorum, obscurare sacrosanctam veritatem & cognoscendi religionem. Etiam ex vetustioribus, (seculo, quòd his collectionibus maximè erat deditum) scripsere nonnulli: Viam brocardicam minimè esse securam: v. *Cynus in l. ita demum 13. C. de procurat. Martin. Laudens. lib. 1. Feudor. 7. num. 7. quâ grossi tantum Dd. utantur, uti loquitur cum suis, Antonius de morat. præscript. cap. 63. num. 126.**

Veruntamen, quorsum isthæc Doctorum Virorum opprobria propriè pertineant, prudenter significat D. Fridericus Hortleder. in *disput. ad l. non omnium 20. de LL. th. 9.* his verbis: *Proposita est à Nevizano, lepidò Doctore, Disputatio, (puto, eum digitum intendere ad lib. 5. sylv. Nuptial. pag. 450. n. 32. ubi sane perquam eleganter, de problemate isto, differit.) Rectene, & ex usu Jurisprudentiæ, Veteres juris Interpretes eum, in legibus enarrandis, modum sequuti sint, ut regulis fabrefactis, mox ampliaciones, quas vocant, limitationesque, seu fallentias, subjicerent? Et magis est, (inquit Hortlederus,) ut utilem eum morem, inque usum revocandum statuamus; hæc tamen lege, ut circumspectè agatur, & in ampliando, limitandoque aliquis teneatur modus: Nam & Duarenus*

renus, Gifanius, Thomingius & alii, nihil, præter abusum, habent, quod vituperent. Eodem tendit Votum Jacobi Bornitii, lib. 1. de confect. instrum. cap. 1. hac acclamatione prolatum, consignatumque: Utinam exoriretur, qui regulas juris universi medullitus in unum apotelesma, sive thesaurum, comportaret, quo facto, juris studiosi, & certitudinem regularum atque sententiarum juris, ex ipsis fontibus, ad decisiones causarum, in parato haberent, & ad usum transferrent. Nimirum, præclaris istis Viris, non satisfecerunt vasta Bertachini, Tusci, Reygeri, & aliorum, Volumina, vellea quoque de causa: quod loca propria communibus commisceant; cum tamen illorum tractatio suis sedibus relinquenda fuerit. Cum enim ipsa Jurisprudentia, propter infallibiles causas, ex Quintiliano lib. 2. cap. 3. (ibi: omne jus, quod certum est, aut scripto, aut moribus constat; dubium æquitatis regulam examinandum est) alibi elicitas, quadripartita merito constituatur: *Synthetica*, (quæ præcepta juris & dogmata componit) *Analytica*, (quæ textus resolvit & explicat) *Polemica*, (quæ quæstiones & controversias discutit & pertractat) denique *Axiomatica* seu Brocardica, (quæ regulas juris & sententias Dd. colligit atque examinat) Ideo, si quod studium in colligendo sollicitus juris cultor impendere amplius velit, & memoriæ in futurum consulere: Non debet omnia in unum librum conferre, sed quæ ad definitiones, divisiones, causas & reliqua præcepta illustranda pertinent, ad Wesenbecium, vel alios libros Syntheticos, reducere: Novas textuum explicationes, ad ipsorum Textuum marginem aut librum, illis parallelum adscribere: *Jus controversum* autem ad Treutlerum, aut Bachovium adnotare; vel, (ubi pragmaticorum, consulentiumque, aut decidentium Voluminibus, manum admove placuerit,) Syllogen Besoldianam, & Speidelianam, commodè poterit imitari: Quæ de re alibi fortean sumus uberius D. V. dissertaturi. Nunc, quia brevissimis paginae & temporis circumscripti sumus angustiis, de instituto tantum nostro hoc addemus: Cum industrii Themidos cultores regulas, quas in quotidiana lectione observant, memoriæ quomodocunque mandare, non imprudenter, meo quidem judicio, gestiant desiderantque: (quandoquidem omnes casus LL. decidi aut comprehendere non possunt, l. 10. 12. & seq. de LL. 2. Feud. 23.) mallem ipsos compendio quodam etiam hic uti instruique; Eoque fine interim, præ cæteris Collectoribus, præcipue Barbosam ipsis commendare volui, ad quem, ante complures annos, fortuitas observationes, tumultuario adjeci studio, accuratius, & ad normam primarum eas expensurus; nisi studiorum atque Occupationum varietas, in alia plurima, animum distraxisset. Interim exoravi alios Viros clarissimos, Juris & æqui peritissimos, qui vices meas libenter subierunt, suasque notas etiam Commilitonibus contribuerunt, quibus adeo, si quid utilitatis, ex hoc opere, in publicum redundaturum est, post Deum Opt. Max. (omnis doni boni verum datorem,) gratiæ à gratis mentibus, merito imputabuntur. Quod si Consilium nostrum, æquis Lectoribus non improbatum iri, experti fuerimus: Etiam in locis argumentorum, & explicationibus cum terminorum, tum phrasium & clausularum, Latinarum atque Germanicarum, quæ obscuritate & ambiguitate suâ, in jure & praxi sæpius remoram injiciunt Lectoribus, parilem operam adhibebimus, thesaurosque practicos, ordine, superius designato, distributos, publico impertiemur. Ben. Val. & Conatibus nostris, deinceps quoque favere, perge.

Monendus insuper est Benevolus Lector, Ea, quæ majoribus expressa sunt literis, Barbose esse: Ea verò quæ clatbris & cancellis inclusa, vel typis minutioribus excusa sunt, ex analectis accessisse.

AXIO-